59

Landwehr 168

[illegible]

coll

DE RERVM

VSV ET ABVSV,

AVCTORE BERNARDO
FVRMERO PHRYSIO.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini
Architypographi Regij.
M. D. LXXV.

ILLVSTRI AC GENEROSO CHRISTOPHORO AB ASSONVILLA, Domino Altævillæ, necnon Regiæ Catholicæ Ma[tis.] in supremo rerum Status priuatóque concilio, Consiliario digniss. CHRISTOPHORVS PLANTINVS S. P.

Leniri salibus grauiora negotia quærunt.
Namque nisi interdum, pressus grauitate laboris,
Tu recrees animum, victus sub mole fatisces.
Hinc meritò pictura mihi solatia fesso
Suggerit, ac oculos animúmque ita pascit, vt eius
Illecebris captus pellam de pectore curas.
Ars etenim illa suis quæ dat monimenta, per annos
Perpetuos mansura, typis excusa, sorori
Huic vni, fugiens aliarum fœdera, iungi
Exoptauit, & hanc propriam sibi iure locauit:
Vt prauos hominum mores simul vtraque carpat,
Et doceat quos ambitio sceleratáque mundi
Blandimenta tenent, cæcáque libidine raptos
Rectum, qui ad cæli perducit sidera, callem.
Ergo dum potiora paro monumenta, tuóque
Nomine digna magis, claris virtutibus atque
Artibus ornato tibi nunc patiare dicari
Quas damus effigies, hæc vt documenta sub isto
Vulgata auspicio, tua morum exempla secutos
Delectent; quin & nostri sint pignus amoris.

I N *mundi cauea fortunis alter abundat,*
Alter eget, medio consistunt ordine quidam.
Viuere quisque putat miserè quem cernit egentem;
Fortunæ vitam mediocris ducit acerbam:
Verùm felicem pleno declamitat ore
Quem spectat pulchris opibus splendere beatum.
Hinc venatur opes intentis viribus vnus
Quisque, parum curans quo iure acquirat easdem.
Stulti mortales corrupta mente laborant:
Non etenim est extra pellem, sed conditur intra
Quod iuuat aut vitam contristat. Cernere promptum est
Omnibus in vicis locupletes flere proternos
Non minus, ac tenui quorum stant omnia filo.
Quo quisque est maior, magis est obnoxius ægræ
Stultitiæ; magnos tristari sæpè videre est,
Atque casas humiles lætari & viuere lætùm.
Non itaque externæ faciunt te stulte beatum
Diuitiæ, cùm non erectum sternere possint
Aut recreare queant animum mærore iacentem.

Melior

OPVLENTIA NON EXHILARAT,

nec paupertas contriſtat.

Melior eſt buccella panis cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.

Prouerb. 17. 1.



Mens hominis variè rerum ſimulachra figurat:
Hinc non luxuriæ ducit Adamus Eden:
Et ſpin ærumnas tolerat nec ſentit amaras,
Sed cotem ſaci acceptat eſſe ſuæ.

V S V S

VSVS *fortunæ rectus fert commoda secum,*
Lætitiamq́; parit, cùm contrà vilis abusus
Cum damno meritas confert in tempore pœnas.
Ebrius è sano morbos & tormina vino
Elicit, illius finem quia nescit & vsum.
At sapiens rerum vires qui nouit, amicam
Lethifero nouit vitam seruare veneno.
Læto animo sanus graditur deserta viarum
Obsita vepretis, cùm duris sentibus ictus
Pes lectum plumis fartum contemnit & horret.
Qui gladij tractant aciem, læduntur ab ipso:
Qui capulum stringit, non se, sed vulnerat hostem.
Omnia prudenti cedunt, contraria stulto.
Per se paupertas, nec non opulentia diues,
Nec bona nec mala sunt: at stultos vtraque lædit,
Cùm frugi rectè, sapienter & vtitur illis:
Tantum vsus discrimen habet secretus abusu.

Si oculos

ABVSVS TRISTITIAM, VSVS VOLVPTATEM PARIT.

Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidum erit: ſi autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.

Matth. 6. 22.



Diuitiis locuples Dominum collaudat Iobus,
Oppreſſus pleno laudat & ore Deum.
Vtilis in cunctis pietas eſt: omnia puris
Pura, ſed impuris ſunt malè pura nimis.

Vsvs

Vsvs *eget modico, valeant si corporis artus.*
Victus alit corpus, vili si veste tegatur:
Et parui constat victus quem condiat acris
Esuries stomachi, tegit & sine murice vestis.
Qui cultu victuq́; caret vel fonte salubri,
Ille eget atque caret rebus, quarum indiget vsus.
Si verò cultus mensuram vincat & vltrà
Quàm satis est tendat, iam non natura sed error
Inualuit, quærens poscit quod dira voluptas.
Si caligæ demas strictæ quæ cruribus est par,
Absurdam facies, & fila tenacia rumpes:
Si laxæ demas, poterit seruare decorum.
Vsus habet strictam, persuasit opinio laxam.
Hinc multi quamuis teneant immensa potentes;
Attamen & multis se credunt semper egere.
Et contrà (quoniam contenti viuere norunt)
Exiguis multi lætanti corde fruuntur
Non aliter quàm si locupletes multa tenerent.
Falsa regit mundum persuasio multa tetentem.
Falsa facit miseros persuasio falsa dolentes.
Felices eadem persuasio falsa figurat.

Initium

QVID SIT EGESTAS ET OPVLENTIA.

Initium vitæ hominis aqua & panis & vestimentum
& domus tegens turpitudinem.
Eccl. 29, 28.



Pauperie cruciatur Achab in diuite regno
Nabothi vites cùm cupit esse suas.
At Paulus diues sub paupertate videtur:
Omnia diues enim qui facit apta sibi.

B PAVPE-

PAVPERIES *merito culpaq́ accita dolentem*
Aggrauat, à Domino non deuenit illa, nec vſquam
Naſcitur; in ſtultis tantum primordia ſumit,
Qui ſua conſumunt, vel non ſeruare laborant
Quæ quondam magno parci ſudore parentes
Congerere in cumulum ſtuduerunt nocte dieq́.
Prodigus eximio victu, cultuq́ triumphat
Suprà quàm vires patrimonî ferre queant, &
Euacuat loculos dum quærit largus haberi;
Et dum largus ouat, quæſitam ſæpè repente
Sentit egeſtatem nullo ſolante reiectus.
Qui bona non rectè cuſtodit, & omnia paſſim
Negligit, illum etiam perſæpe trucidat egeſtas,
Contemptumq́ facit dirum ſentire dolorem,
Quod nimia inflarat ſecurum copia rerum.
In medios dormire dies qui gaudet, & omnem
Horret ſudorem, cumulumq́ exhaurit & vrit,
Induit hic ſenſim perſonam pauperis ægram,
Atque metum præter quid ſit penuria ſentit.
Comminuis magnum ſi nil adiungis aceruum.

Vacantes potibus conſumentur.
Prouerb. 23, 21.
Animà diſſoluta eſuriet.
Prouerb. 19,15.



Prodigus à luxu vitam traducit egenam:
Creſcit ſocordi farris auena loco.
Oſtia virginibus præcludit inertia ſomni:
Hæc tria pauperies ſemina digna capit.

PIGRI-

PIGRITIÆ *vitio plerumque laborat egenus*
Quem prælarga fouet stolidi miseratio vulgi.
Hinc piger aut spernit verecundæ frontis honorem,
Aut animo elato scelera & malefacta frequentat.
Inuerecundus amat numum, ventrísque gulosi
Delicias sequitur, contemptum spernit, vbique
Molliciem venatur, & abnuit arma laboris.
Cynica pera facit securum viuere, & extra
Sumptum: nam populus largitur plura petenti
Quàm possit rapido quisquam consumere ventre,
Præsertim cùm dira fames per regna vagatur:
Tunc etenim frustum pluris diuendere nouit
Quàm queat integrum florenti tempore panem:
Plus donàtur ei panis quàm deuorat vnquam:
Lucrosa illius pannis est obsita vestis,
Vt non cogatur victum cultúmue parare.
Sic ditare solet mendicum publica clades,
Sic cadit in strictos seruata pecunia casses:
Sic magnas corradit opes mendicus auarus
Qui seruare stipem populi consueuit in arcto,
Exiguum exiguo cumulans dum fiat aceruus.
O vtinam reges terræ qui sceptra gubernant,
Hoc onere exonerent terras per vincla laboris.

Propter

MENDICI AVARI.

Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur illi.
Prouerb. 20, 4.



Ne des mendico perfrictæ munera frontis:
Des inopi in vicos quem vetat ire pudor.
Illos ambitio ſolita eſt ſaturare potentum.
Hic iacet, & tandem, dum pudet vſque perit.

MENDICI

MENDICI *vitam tranquilla per ocia in omni*
Nequitia, luxu tetraq; libidine ducunt.
Nam paßim tutò perfricta fronte vagantes
Rem faciunt nullo ſumptu nulloq; labore
Impenſo ingentem, longè vel certius illis
Qui duram peragunt Christi ſub nomine vitam,
Atque Deum precibus noctéſque diéſque fatigant.
Hi ſunt ſacrilegi qui munera ſacra popelli
Diripiunt, quæ quiſque Deo Christoq; parauit,
Credit & in rectos vſus ſe vertere egentum.
Hi fuci magno congeſta labore vorantes
Secura populos exugunt arte benignos.
Hi laqueo digni fures, qui dona piorum
Abſumunt, genium placantes munere rapto.
Ergo etiam multi cernentes talia, vultum
Auertunt, retrahuntq; manum diuerſa putantes,
Et ſua diſpenſant tanta donaria cura,
Vt penè ad laqueum veri cogantur egentes.
Vos decet, ô reges quibus eſt commiſſa poteſtas,
Finibus ignauos veſtris depellere, & iſtos
Piſtrinis, foßis, remíſque addicere fucos.
Nam conſtare nequit longum reſpublica tempus,
In tranſgreßores cui vincula ferrea deſunt.

Seruo

Seruo maleuolo tortura & compedes: mitte illum in operationem ne vacet.

Eccl. 33, 28.



Qui semel innocuum detersit fronte pudorem,
Mollicie vincit sæpe datoris opes.
Ille solet populi consumere dona benigni,
Indulgens genio nocte dieq́ suo.

 NE *sint*

NE sint mendici, quosdam pudor ipse refrænat,
Quamuis ignaui soleant vitare laborem.
Hinc se vel furtis vel dedunt sæpe rapinis,
Aut desperantes abrumpunt stamina vitæ.
Quos pudet ingentem manibus versare ligonem,
Cùm latebras sperant, furtis sua corpora pascunt.
Ast alij furis nomen vitare volentes,
Vt non mendicent, rapiunt, grassantur, & atra
Cæde parant ventri quæ donent rapta voraci.
Qui neque furantur, neque vi neque cæde trucidant,
Sed magis à vitiis solido retrahuntur honesto:
Illos (cùm nolint operari) depudet; atque
Aut furere incipiunt, aut collo nectere funem;
Aut gladium, puteum, laqueum meditantur, & inde
Ordiri properant æternæ stamina mortis.
At quanto satius paterentur dedecus ingens,
Ieiunamq; famem, quàm sic morerentur iniquè.
O Deus ignauis tantum defende periclum;
Aufer eis animum furandi; tolle superbam
Mentem, qua rapiunt, spoliant iugulantq; latronum
In morem: clemens illis tua gratia dextram
Porrigat, æterna pereant nè morte subacti,
Cùm desperantes vitam profundere pergunt.

PAVPERES

a.

PAVPERES MALEFICI.



Ignauum placidè nimiùm tractare solemus
Corpore qui valido scindere posset humum.
Hinc nimia exundat nebulonum copia passim,
Qui furtis vexant, cæde bonósque necant.

SVNT aliqui vera qui paupertate laborant
Procliues in opus, quos non ignauia tardat,
Sed fortuna parum radiis aspectat amicis:
Hi digni quorum populus miserescere posset.
Multa domos struxit locupletes turba potentum,
In quibus ægroti muti, surdiq́ fruantur
Hospitio: sed nulla domus constructa patescit
His quibus aduerso succedunt omnia lapsu.
Hi quamuis sese sudoribus vsque fatigent,
Noctes atque dies quæstum venentur, & intra
Pellem se teneant; tamen haud lucrarier vnquam
Vel tantum possunt, valeant quo tollere prolem
Vxoremq́ suam. Cùm nil industria prodest,
Ne vel furtiuo vel rapto viuere suescant,
Tandem cum sicco commutant pane pudorem.
Hos si non teneat mendici mantica dulcis,
Sed citò resiliant, victum sudore paréntque,
Cùm tolerare datur, meritò dicemus egentes.
Si iusto officio succurrere talibus omnes
Festinent, iustásque preces præuertere curent;
Haud dubiè illorum verecundia salua maneret,
Nec tam magna foret mendicûm turba: proinde
Felix qui rectè causam procurat egentum.

Quatenus

VERI PAVPERES.

Quatenus fecisti vni de his fratribus meis minimis, mihi fecisti.
Matth. 25,40.



Barraban absoluunt, Christum sine crimine damnant.
Donatur sceleri, vita negata Deo.
Pascimus ignauos, iustis alimenta negamus:
Quomodo ritè locet munera nemo videt.

GRÆCAS

O CÆCAS *hominum mentes, quàm pauca requirit*
Humanæ vitæ, si rectè prospicis, vsus;
Vt multis egeant persuasit opinio multis,
Non natura, ducem quam quisque sequatur oportet.
Illa sitim duramq́; famem durumq́; recusat
Frigus, & hæc modico gaudet depellere sumptu.
Fluminis vnda sitim cùm vinum deficit, aufert;
Esuriem panis, compescit frigora vestis.
Hunc seruat natura modum, nil amplius optat.
Quodcunque adiicitur, suadet damnata libido,
Non ratio. Nam sic quondam vixere Catones
Et Curij sola naturæ lege coacti:
Qui nos Christicolas damnabunt iudice Christo,
Quòd cum deliciis luxum sectemur inertem:
Non ita præcessit cuius sub nomine vitam
Ducimus; ille famem perpessus sæpè sitimque,
Per mundi spinas cœlum concessit in altum.
Stulta superuacuas fingit persuasio curas,
Sed paucis contenta viget natura. profecto
Ignaui non sunt digni qui pane fruantur.
Omnibus vnda patet, longos quoque durat in annos;
Vestis & exiguo sensim reparabilis ære est.
Qui manibus tolerant victum noctesque diésque,
Quamuis indigeant multis in paupere regno;
Non tamen idcirco, quoniam fortuna molesta est,
Despondent animos, contenti sorte laborant,
Ac ignaua iuuant protensis carbasa remis.

Nihil

QVÆ RES SINT NECESSARIÆ.

Nihil intulimus in mundum : haud dubium quòd nec auferre quid possumus. Habentes autem alimenta & quibus tegamur, his contenti sumus.

1. Timoth. 6, 7.



Si pede sit maior, subuertit, si minor, vrit
Calceus: æqualis conuenit vsque pedi.
Qui sequitur fastum, nunquam contentus abibit:
Sed cui conueniet res sua, tutus erit.

INVENIAS *aliquos qui ſumptibus omnia perdant,*
Vel ſua committant incertæ commoda ſorti.
Inuenias etiam qui ſollicitudine multa
Fuluum defodiant aurum tellure ſub ima.
Hi ſunt qui ſoleant opibus violenter abuti.
Prodigus abſumptis in Bacchi pocula rebus,
Aut in ſcorta, coquos, ganeones atque popinas,
Pauperie tandem opprimitur, turpemq; profuſis
Sentit egeſtatem nummis atque ære redemptam.
At quem defoßi delectat lamina nummi,
Qui colit argentum mage quàm pia numina diuûm,
Stultitia ſuperat paraſangis mille priorem.
Corporis hic vires macerat quo creſcat aceruus,
Et vitam ducit plenam formidine, tantum
Intra menſuram viuens vt prodigus extra.
At qui fortunas ponti fallacibus vndis
Aut aliter temere committit flantibus euris,
Eſt canis Aeſopi ſimilis, quem fabula narrat
Cum vana carnes vmbra mutaſſe relictas:
Nam dum venatur quæſtum per ſaxa, per ignes,
Per maria & terras, in fraudem decidit vltro:
Dum pro ſperatis incertis certa relinquit:
Pauperiem metuens hora temerarius vna
Aſſequitur, dum non contentus ſorte quieſcit.
Vſque adeò ſtultis cognata eſt ſemper egeſtas.

Qui diligit

Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vina & pinguia, non ditabitur.
Prouerb. 21, 17.



Qui supra citráue modum conuiuia tractant,
Vel temere arripiunt omnia, egere solent.
Prodigus & stultè temerarius omnia perdunt:
Sponte sua, condens plurima, auarus eget.

 At *frugi*

At frugi medium rectè ferit vndique tutus,
Naturamq́ ducem sequitur comitante labore,
Et cum prudenti dispensat singula cura.
Ille lucrum semper quærit vigilanter honestum,
Ex quo desumit quantum natura requirit,
Quod superat seruans in dura pericula vitæ.
Et quamuis hominum tam sit furiosa libido,
Et tam corrupti mores, vt pluribus omnes
Indigeant quàm si tecto vel pane vel vnda
Contenti viuant; tamen & frugaliter omnem
Instituit vitam, nec prauis moribus vllis
Vrgetur, faciat sumptum quin sorte minorem.
Ille habet in promptu quæ multis commoda desunt,
Queis infelices promptè solatur egentes.
Ille pater felix dominúsque & semper abundat,
Et tutò viuit casu securus ab omni:
Et caret inuidia; non morbus vexat inertem:
Sed puris dapibus contentos exigit annos
Sobrius, in Christo tranquilla mente quiescens.
Sic petitur cœlum vita feliciter acta,
Non vt delicias mollesque sequamur amores.

Vita sibi

FORTVNARVM RECTVS VSVS.

Vita sibi sufficientis operarij condulcabitur, & in ea inuenies thesaurum.

Eccle. 40. 18.



Qui iustè partis moderatè viuit, & apta
Quæsitum cura dat quoque pauperibus;
Ille Deo fidit, virtutem plus facit auro,
Naturæ vitam conuenienter agit.

NON, si thesaurum solidi cumulaueris auri,
Argentíue loco massam stipaueris amplo,
Diuitis appellent homines te nomine vero:
Sed tua si fuerit nummûm satiata cupido,
Si viuas animo læto, nil amplius optes;
Diuitis egregium nomen portabis honestè:
Vera etenim nullis opulentia clauditur arcis,
Contenti sed eam concludunt scrinia cordis.
Pauperior Codro, mendico viuit & Iro,
Cuius amor gliscens nunquam saturatur habendi.
Plura petit semper stolidi mala opinio vulgi:
At sapiens modico vitam traducit aceruo
Contentus lætam. Capias vt cuncta libido
Quæ monet, haud homini promptum diuinitus vlli est.
Deponatur amor rerum quas cura negauit
Summa Dei humano generi; ne plura petamus
Quàm ratio nostris subiecit viribus: hæc est
Paupertas animi quæ templa astralia scandit.
Sic verè sanctum factis imitamur Iobum
Qui possessa facit nihili, deperdita iuxta
Aestimat, & domino submittit cuncta potenti.
Sic Christum induimus, sub quo Deus omnia nobis
Largitur. Christum qui possidet, ille repente
Diues habet quicquid thesauris conditur vsquam.
O stultos homines, lutulentum quæritis aurum
Atque Deo præfertis opes. Vilissima rerum
Præcludunt vobis cælestia templa Tonantis.

Sint mo-

QVID OPVLENTIA.

Sint mores ſine auaritia, contenti præſentibus:
ipſe enim dixit, non te deſeram
neque derelinquam.
Hebr. 13, 5.



Vulgari dicto populi bene diues habetur,
Contentus viuit qui bene ſorte ſua.
Sit tua ſors Chriſtus, ditaberis atque repentẽ;
Et propter Chriſtum cuncta putabis acus.

QVI

QVI *superare modum sumptu contendit, & vltra*
Fortunam, reditus, quæstum conuiuia tractat,
Vel sua cum scurris, lenonibus atque magiris
Consumit, donátue feris patrimonia scortis;
Crede mihi, tandem vesanos propter abusus
Sentiet ærumnas commisso crimine dignas.
Ille gula furatur opes, quas nomine Christi
Possidet vt donet ceu dispensator egenis.
Solus quippe vorat tantum perditq; rapaci
Gutture quo senos aliter toleraret egentes.
Hinc oritur, pœnas quare dependat in orco
Diues; at in gremio contrà despectus ab ipso
Nachoridæ molli requiescat pace solutus
Lazarus. O qualem tu luxuriose talenti
Reddes absumpti rationem, si Deus olim
Exiget vsuras seruata sorte lucratas!
Scilicet immensas letho dabis improbe pœnas:
Atque adeò hîc etiam dum vita superstes, egebis,
Et duram patiere famem, contemptus ab ipsis
Qui tecum, sociis, vixerunt turpiter olim.
Tum reuocare voles transactos nequiter annos;
Sed frustra; æternum viuet sub pectore vulnus:
Corrupti luxu mores tua corda perurent,
Conscia mens lapsæ recolet cùm tempora vitæ.

Vacantes

PRODIGI.

Vacantes potibus & dantes ſymbola, conſumentur.
Prouerb. 23, 2.
Qui nutrit ſcortum, perdet ſubſtantiam:
Prouerb. 29, 3.



Quid mirum, fundos ſi prodigus euomat hauſtos:
Illos comminuit faucibus antè ſuis.
Græcari ſolitum tandem diuexat egeſtas;
Qui vel pauperibus danda alimenta vorat.

QVI *plus*

QVI *plus quàm satis est nummorum seruat in arca,*
Quiq; facit sumptum tuta pro sorte minorem,
Atque magis cistæ, quàm ventris commoda quærit;
Diuitias prius ille suas commendet arenæ
Quàm stomacho, sitiet potius quàm sumet Iacchum,
Atque famem duram patietur sordidus. (hæc est
Vilis auaritiæ pietas; tam iusta rependit
Præmia: vix donat fidis alimenta ministris)
Officium nulli præstat, quin plura reposcat;
Quod datur ingratus signo concludit & arcæ:
Auri spem fuluo sperat sedare metallo.
Sed frustra lignis flammam sedaueris ignis.
Stultus Alexander totum deuicerat orbem,
Diuitis atque Asiæ populos subiecerat, omnes
Thesauros Arabum cumulauerat, vndique tutus
Quid facit audito plures extare triumphos
Alterius mundi? locuples tristatur, & ardet
Alterius mundi mundo glomerare decorem:
Nam putat exiguum quod possidet, altera poscit:
Non aliter quàm qui consumitur hydrope diro,
Semper poscit aquam quamuis exhauserit vrnam.

Vir cui

AVARI.

Vir cui dedit Deus diuitias, &c. nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud.

Eccles. 6, 2.



Semper auaritiæ studium insatiabile macræ:
Crudelis miseris est famulisque suis.
Quærit opes quarum locuples & pauper abundat:
Eius diuitias tinea sæpè vorat.

E PRODIGVS

Prodigvs & nummi nimium seruator auarus,
Stultitiæ à vulgo plerumque notantur: at illum
Qui citra vires patrimonî viuit, & vltra
Vsum plebeium conuiuia splendida tractat,
Vt simul haud pereat, sed sensim crescat aceruus,
Ceu bene prudentem totus laudauerit orbis.
Nam neque sollicitè nimium patrimonia seruat,
Nec temere nimium consumit (vulgus vt inquit)
Sed contemnit opes tanquam sit plenus earum,
Viuere & instituit Epicuri more beatum.
At Deus hunc stolidum profatur, temporis huius
Iucundum vitæ æternæ qui præferat vsum.
In terra condit thesauros furibus atque
Blattis: maiori cum sedulitate laborat,
Quo cistam vacuam nummis, vel compleat ollam,
Quàm quo fœdatos mores virtutibus ornet.
An non Anticyra dignus, qui stultus honores
Stultarum sectatur opum, quas pluris amat, quàm
Templa poli summo quæ stant constructa Tonanti?
An non Anticyra dignus, qui corpus honorat,
Corporis & dominam patitur vilescere mentem?
At facit hoc mundi sapientia, diligit aurum,
Curat opus, seruit nummo, quia nummus honorem
Atque voluptatem largitur sæpè ministro.
Nemo cælesti construxerit horrea messi:
Quisque diem nummo, Ioua sed commodat horam.

Vbi thesau-

SAPIENTES MVNDI.

Vbi thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit.

Luc. 12. 39.



Horrescit mortem venientem diues, in auro
Qui fuluo miseram spemq; fidemq; locat.
Ille prius terræ nigro condetur in orco,
Auri quàm terra gnauiter vsus erit.

HIC *stultus mundi sapiens consueuit abuti*
Stultè diuitiis, dum vel deperdere multum,
Vel seruare solet. Mores regionis & almæ
Delitiæ carnis faciunt complurium egentem,
Aut sumptu nimio diffundere multa proteruum:
Contrà, ceu diuam cui fidat, seruat, & vsque
Mammonam sequitur, vicinum vt spernat egentem,
Et nihili curet, moriatur frigore, an acri
Esurie pereat, nummi modò suppetat vsus.
Vtor, ait, propriis, collecta pecunia nostra est.
Non sum vinosus, non helluo, viuo modestè:
Quod superat, seruo, serisque nepotibus abdo.
Quem meus hic sumptus vel quem custodia lædit?
Non tuus est nummus: Dominum se Ioua reclamat;
Custodis domini ceu quæstor serue talentum.
Si tu luxuriæ malè sanæ impendia vites,
Pauperibus donare potes quæ fercula perdunt.
His succurre tuis rebus si parcere gestis:
Non posses vnquam melius seruata locare.
Est gratum Christo quicquid donatur egenti
Vel minimo. Cùm tu perdis luxuq; talentum
Diffundis nimio, vel cùm diffidis, & arcam
Comples, vicinum pateris quoque strenuè egere:
An non est sumptus tuus & custodia abusus?

In præsenti

RERVM INIQVA DISPENSATIO
& conseruatio.

In præsenti tempore vestra abundantia
illorum inopiam suppleat.
2. Corinth. 8. 14.



Quisque sonat Christum factis quem denegat: omnis
Lingua Deo fidit, quem cor adesse negat.
Vita placet cumulantis opes, si splendida, vulgo:
At stolidum sapiens hunc ait esse Deus.

SVMPTVS

SVMPTVS opum nimius, quem rerum gignit abusus,
Victu vel cultu nimiis, vel constat vtrisque.
Hæc tria ceu diuas sectatur quisque libenter,
Lumina quo pascat, ventrem vel curet inertem,
Vel magno rerum multarum splendeat vsu.
Luxuries lautè viuit, quæritq; per orbem,
Per mare, per terras quo ventrem placet hiantem:
Hinc qui largus erat, fit tandem tristis, & vltrà
Quàm par est, miseris durè responsat egenis.
Sed quid agit sumptu, quid quærit in aëre & vndis?
Escam venatur, qua se putat esse beatum;
Sed stolidè, velut ore Anyti reus extulit olim.
Nam quicunque solet sic irritare palatum,
Lautitiis gustum sedare, replere saburra
Ventrem selecta, licet est ditissimus ille:
Attamen haud fieri poterit quin spernat egentes.
Intestina cibis variis dum tendit, Iesus
Esurit atque sitit contempto cum grege Christus.
Ille quidem credit Iouam tardare, sed errat:
Namque etiam hic misero vexatur sæpè dolore,
Dum supra vires vinum deglutit & haurit;
Vnde oritur stomachi vitium quo nauseat, horret,
Fastidit, donec mersa de naue saburram
Decoctis aliquis demat Podalirius herbis.

In multis

VITA LVXVRIOSA.

In multis eſcis erit infirmitas, &c. propter crapulam multi obierunt : qui autem abſtinens eſt, adiiciet vitam.

Eccl. 37, 33.



Qui ſua dat ventri miſeris quæ tollit egenis,
Sublatus morbis in Phlegethonte iacet.
Qui pellem curat, nunquam ſolet eſſe benignus,
Chriſto procurans eſuriente gulam.

EXPENSAS

EXPENSAS *etiam cultus præclarus adauget:*
Pellibus eximius vel molli vellere Serum
Excludit Christum formosa veste carentem:
Vestitu nimio vulgi venatur honorem:
Et frigere sinit Christi pia membra dolentis,
In se spectantum quo lumina plurima vertat.
At quanto satius nudos vestiret egentes
Impensa, quam nunc in bysso & murice perdit,
Ne tandem infelix diues trabeatus vt olim
Contempti pœnas nudi dependat in orco.
Quamuis ignorent homines, ô tristis abusus
Quàm perdis multos oculorum propter honorem!
Denudas Christum, quo gemmis clarus & auro
Emineas, variè baccata monilia gestes;
Purpura & insignem faciat vel penna volucris.
Hinc tua picturis, simulacris atque tapetis
Insumis: pulcher, si Iouæ simia vultum
Aut vestem pictor referat, quæ fulgeat ostro.
Quidnam, stulte, iuuant hæc te ludibria vanum?
Audi quid Christus postrema voce loquatur;
Qui te non fallit, sed verum fortiter ipsum
Asserit; in summa veniet cùm nube decorus,
Si non vestra teget scelerata superbia nudos,
Nudus eram, dicet, vos deseruistis inermem,
Aeternis à me damnati cedite flammis.

In dic

In die illo auferet Dominus ornamentum calceamentorum & lunulas, &c. & erit pro suaui odore fœtor &c.

Esai. 3. 18.



Omnes ostentant, quo seruant corpus, amictum:
Antea quem pardus vel pia gessit ouis.
Et nisi sic faciant, nullo videantur honore
Digni. Sic nudant. Christe benigne tuos.

QVI *cupiunt magni mortales inter haberi;*
Hos tanquam seruos vesana superbia ducit.
Regifico luxu priuatus construit ædes;
Illius ast animus fœtet ceu putre cadauer.
Bustum munditiis ornat, purgatq; vicissim:
Non tangenda latet vitiorum lerna sed intus.
An non hic vsus rerum damnatus abusus?
Aedificat quicunque casas vigilanter egentum,
Ille in corde Deo pergratam dedicat ædem.
Vnusquisque sibi prætoria grandia condit;
At caput augustum Christus quo fortè reclinet,
Non habet. En seruus sublimis in atria scandit:
At iacet in stabulo dominus cum bobus & apris.
Quæ ratio? tua cur excelsis alta columnis
Stat domus? an non mors etiam sublimia tangit?
An non sæpè domum magnam crux magna fatigat?
An non & domino famulorum turba molesta est,
Cùm videt ante oculos consumi nequiter acri
Quæ cura seruat patrimonia nocte diéque?
An non triste canes, buteones atque caballos,
Perdere quo possent multi, vixisse clientes?
Quid prodest domino tam splendida vita? relinquet
Omnia: nil præter victum vel præter amictum
Auferet: ingeminat curas sibi copia rerum, &
Peccando pœnas peccati sentit acerbas.

Videsne

Videſne quòd ego habitem in domo cedrina, & arca
Dei poſita ſit in medio pellium?

2. Reg. 7. 2.



Plus canibus lauti præbent nitidiſque caballis,
Quàm membris Chriſti, quæ ſimulachra Dei.
Quæ reſerant magnis occludunt oſtia paruis.
Chriſtus eis claudet templa ſerena poli.

SI Iouæ seruit tellus, & quicquid in illa est,
An non mortales furaci mente laborant,
In terris audent proprium qui dicere quicquam?
Quicquid habent aliunde venit, descendit olympo:
Est Iouæ donum: non est cur asserat vllus
Ceu proprium; cuius voluit Deus esse ministros
Quæstoresque, piis vt dent alimenta fideles:
Nemo suum fraudat genium. quis pascit egenos
Relliquiis quæ de mensa locuplete supersunt?
Omnes Christicolæ gaudemus nomine dici:
At quis eum præstat quem poscit Christus amorem,
Pascat uti micis satur & bene pastus egentes?
Sed cur Christicolas, quæso, nos esse putemus,
Reddere cùm nostrûm Christo sua quisque recuset?
Ioua viatores passim per compita mittit:
Exigit vsuras, non sortem, quas dedit ipse.
Poscit luxuriæ tantum quæcunque supersunt.
Nemo audit; surdas miseris obuertimus aures,
Et foribus Christum malè grati excludimus ipsum.
Christum defraudat qui nummos stipat in arca.
Quod faciunt omnes hodie, furantur, egenis
Quæ debent, veluti quondam furata Gomorrha est.
Ioua quidem clemens, sed & idem iustus habetur.
Qui non largitur miseris clementer egenis,
Indignus Iouæ pia quem clementia seruet.

Iniustè

INIVSTA RERVM CVSTODIA.

Iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.

Iacob. 2,13.



Iniustè seruat luxus iniusta libido:
Horrea quàm seruos plus facit illa Dei.
Cor, nummos, aures querulis obturat egenis:
Flexuram credis voce querente Deum?

INIVSTE

INIVSTE *custodit opes qui claudit egenti*
Ostia, quo natis lutulentum congerat aurum,
Et demonstret eis magnum, quo captus, amorem.
Vt placeat natis, mauult offendere cælum.
Sed quis amor natum spinas qui collocat inter,
Spinas quæ mergunt diuini semina verbi?
O cæcum, nato laqueos qui ponit, amorem!
An quisquam puero gladium commendet? an illi
Indomitum conquirat equum quo nesciat vti?
Sæuior indomitus opulentia magna caballus,
Indomitæ frangit ceruices sæpè iuuentæ,
Dum nimis indulgens vitiis fomenta ministrat.
Durum conquerimur callem qui ducit in astra:
Illum diuitiis nato facis asperiorem.
Ingreditur siquidem locuples in limina cæli
Tam facilè vt per acum facile est transire camelum.
Debita pauperibus cista qui claudit acerna,
Quo natum ditet, nato quoque sidera claudit.
Quisque suum mauult nummis gestire nepotem,
Aut fastu clarum tumidos præcedere fasces,
Quàm pietate grauem, quæ semper & vtilis vsque est.
Quisque suis timidè patrimonia magna relinquit,
Vt locupletet eos, stultè quo viuere possint.
O mores hominum corruptos, omnia parent
Stultis diuitiis. potius confidite Iouæ.
In se fidentes non deserit ille, nec vnquam
Mendicare sinit iustos vel semen eorum

Qui dat

LIBERALITAS COERTETVR VT *ditetur hæres.*

Qui dat pauperi, non indigebit: qui deſpicit deprecantem; ſuſtinebit penuriam.

Prouerb. 28, 27.



Diffidens Domino cumulat patrimonia natis:
Et multos, cupiens plurima, egere facit.
Confidit nummis poſita quos ſeruat in olla:
Ore Deo pſallit, corda ſed ære fouet.

NOMINE

NOMINE qui Christum sequitur vitaq; modesta;
Is parcè insumit, largitur multa benignè;
Seruat prudenter quæ sunt congesta labore,
Quo sibi, quo natis, quo cunctis vtilis atque
Pauperibus viuat. Magno discrimine frugi
Vnicuique suum præstat, quem debet, amorem.
Ipse intra sortem sumptum facit, atque agit intra
Communes vulgi rationes ordine vitam.
Luxuriæ ramos feliciter amputat, atque
Sarmentis inopes pascit quos nouit ab vsu.
Pauperiem fratris præsentem plus facit, atque
Incertò gnati cladem quandoque futuram.
Immo etiam motus miserorum sæpè querelis
Esuriem patiturq; sitim, ieiunat & orat,
Vt queat exhaustos solari munere egentes.
Contrà cùm cernit multos prætexere falso
Pauperiem, rebus florentibus atque secundis
Venturam metuit post dura pericula sortem.
Quod superat, seruat prudenter, & ordine condit
Vxori, natis, sibi, verùm ante omnia Iouæ.
Tristatur quòd non veniat cui donet, egenus;
Collocet vt Domini commissum ritè talentum.
An non hic Rex est; an non regaliter iste
Viuit, qui cunctis prodest, & non nocet vllis?
Scilicet vsus opum rectus, quem quærimus, hic est.

Qui semi-

DIVITIARVM RECTVS VSVS.

Qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.

2. Corint. 9, 6.



At pius à Christi verbis & nomine pendens,
Ieiunat, miſeris largus vt eſſe queat
Certus enim natos ſeponere poſſe parentem:
Nunquam ſed Dominum poſſe fugare ſuos.

G

S 1 *quis*

SI *quis mansuetus rectum contempserit vsum,*
Cancellis quoniam pressus constringat & arctis;
Audiat is secum quidnam natura loquatur.
FAC ALII *præstes quod vis tibi præstet vt alter.*
Quis non à sano bene diuite postulat, vno
Vt careat turdo stomachum quo placet hiantem
Latrantemque fame? quis non sua membra fouere
Exoptat sumptu, patitur dum frigora & imbres,
Quem temere effudit palmata veste superbus?
Si nos hæc fieri nobis optamus egenus,
Cur nos haud aliis præstamus egentibus ista?
Vt vitulum conflet vilem, fert Israel omnem
Ornatum: cur tu Iouæ donare recusas
Dimidium valido quem gestas corpore mundum?
An metuis ne quis vitio tibi vertat acerbus,
Quòd Iouam sequeris, mores regionis & horres?
Quin potius metuis venturum in nube serena,
Ne propter fastum æterno te mancipet igni?
Si bene perspicias quantum natura requirat,
Inuenies sumptus temere te perdere multos,
Qui possent seruare domum consultius amplam
Pauperis exiguo genium qui placat aceruo.
Sint parui sumptus, tecum lætentur egentes:
Dona manu larga confer tua: plurimus inde
Proueniet fructus cæli cùm templa subibis.

Quoniam

SVMPTVVM MINVTIO VT LIBERALITAS AVGEATVR.

Quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues,
vt illius inopia diuites eſſetis. *2. Corint. 8, 9.*

Qui habet duas tunicas, det non habenti.
Luc. 3, 11.



Optimus ille Deo ſimilem qui præſtat amorem,
Vt fiat pauper, factus vt antè Deus.
Imminuit ſumptum luxus quo donet egenis,
Vt largi illuſtris fiat imago Dei.

OMNIPOTENS *summo venturus tempore Iudex*
Peruigil inspiciens quid quisque agat aut patiatur,
Reddet pro meritis operum sua præmia cuiuis:
Læta probis, contrà tribuendo tristia, prauis.
Quanto homines igitur bene viuere, quàm malè, præstat,
Cùm vita functum merces sua quemque sequatur.

1 *Si premitur dura quis paupertate, labori*
Se dedat gnauus; malefacta, atque ocia vitet:
Vtatur patiens partis: ita tristis egestas
Et sceleri procliuis, ei nil victa nocebit.
2 *Qui parcè, quo viuat, habet; parcè quoque sumat:*
Sortes, atque epulas horrescat; non sit auarus:
Infamem fugiat quæstum: parcat moderatè,
Confidatq́; Deo: sic vsum adhibebit honestum.
3 *Diues auaritiam deuitet perfidiámque:*
Viuas diuitiis condendis comparet arcas,
Quas neque vermis edax, neque fur corrumpere poßint.
Sic vtens opibus, Christi mandata capesset.
4 *O quàm læta pias horum vox vltima ad aures*
Perueniet: Vos huc electi patris adeste.
Rebus abutentum penetrabit pectora vocis
Horror postremæ: Procul hinc vos ite profani.

Tunc

Tunc dicet his qui à dextris erunt, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum: &c. Illis verò qui à sinistris, Discedite à me maledicti in ignem æternum, &c.

Matth. 25.



Diues inopsque simul patienter ferte laborem,
Vt detis vigili parta labore piis.
Sic vt oues Christum venientem in nube feretis,
A me cùm fuci dicet abite mali.

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI *Hispaniarum Regis &c. Priuilegio cautum est, ne quis alius præter Christophorum Plantinum, hunc libellum* De rerum vsu atque abusu; *intra decennium imprimat, aut alibi impressum in suas ditiones importet, venalémve habeat. qui secùs faxit, pœna fisco Regio exsoluenda multabitur: vt latiùs in Regio diplomate expressum est, Dato Bruxellæ* XV. *Nouemb.* M. D. LXXIIII.

Subsign.

I. De Perre.

APPROBATIO.

Hic libellus De rerum vsu atque abusu, doctè & compendiosè conscriptus est, & pueris & senibus vtilis, in quo nihil continetur quod sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Romanæ religionem offendat vel bonos mores.

Ita est Henricus Dunghen Canonicus Antuerpien. S. Theolog. Doct.